

418 *IN VERREM ACT. II. LIB. III.*  
 labore deferviunt : etiamne hæc nova debent edicta, & imperia pratorum, & Apronii dominationem, & Veneriorum fervorum furta, rapinasque perferre? etiamne frumentum pro empto gratis dare? etiamne in cellam cum cupiant gratis dare ultro, pecuniam grandem dare? etiamne hæc tot detrimenta, atque damna maximis injuriis, contumeliisque perferre? Itaque hæc, Judices, quæ pati nullo modo potuerunt, non pertulerunt. Arationes tota Sicilia desertas, atque a dominiis relictas esse cognoscitis: neque quidquam aliud agitur hoc iudicio, nisi ut antiquissimi focii fidelissimique, Siculi, coloni populi Romani, atque aratores, vestra severitate & diligentia, me duce, atque auctore, in agros, atque in aedes suas revertantur.



NICO-

419  
*IN VERREM ACT. II. LIB. III.*  
**NICOLAI HORTENSII**

DE RE FRUMENTARIA ROMANORVM

*Ad superioris Orationis illustrationem.*



**I**BER tertius Acculationis totus est de re frumentaria, hoc est de furtis, quibus Verres detraxit de civitate, ut ait Cicero, *de vitellio, de vita & sanguine populi Romani*. Ista me admonerunt, ut paulo diligentius in rem frumentariam Romanorum inquirem; rem cognitione jucundam & utilem, intuenti quibus artibus populo prope immenso victus sine labore compararetur; & quam iusta sint querelæ, quas a fidei Tullius deplorare solet de averfo Siculo frumento, & de veniis Clodia lege femisibus, ac trientibus.

In argumento simili versati sunt olim J. Lipsius, & Vincent. Contarenus; quædam ab illo; ab hoc vero non pauca huc transtulit.

Hujusce disputationis hæc erunt capita. I. Populi Romani parcimonia. II. Deinde avaritia. III. Frumento empto & veltigali populus Romanus utebatur. IV. Largitionum frumentariorum origo & causa. V. Prima largitiones. VI. Leges frumentariæ. 1. Gracchi. 2. Incerti auctoris. 3. Apuleja. 4. Livia. 5. Terentia-Cassia. 6. Senatus-consultum Catonianum. 7. P. Clodii. VII. Modus frumenti qui dabatur. An vitium? VIII. Qui accipiebant, & quomodo. IX. Numerus accipientium. X. Curatores rei frumentariæ. XI. Per quos frumentum distribuebatur. XII. Provincia frumentariæ.

I. Primis temporibus summa fuit Romanorum parcimonia. Bina jugera ad alendam familiam erant satis: nulli civi majorem agrorum modum Romulus attribuit. *M. Curius post triumphos, inanis sumque rerum adjectum imperio, nota concio est: perniciosum intelligi creem, cui septem jugera non sufficerent: que mensura plebi post exactor reges assignata est.* Plin. xviii. 2. &

3. His moribus non modo sufficiebant fruges domestica, nulla provinciarum pascente Italiam, verum etiam annonæ vilitas incredibilis erat. *Ibid.* Testatur Polybius, II. 15. etiam ætate sua medimum Siculum, non vero modicum, ut Casaubonus vertit, Budaem perperam secutus, venisse obolis quatuor; Gall. *cing. sols.*

II. Sed ubi avaritia & luxuria in republicam immigraverit, rerum facies immutata est. Nullus agrorum habendorum modus fuit. Leges ferendæ fuerunt, quibus cupiditas coerceretur, & modus definitur agri, quem Nobilium quique possideret. Leges vanae fuerunt. Ipsi earum auctores in eas primi peccaverunt. Avero freni impatiens flagravat avaritia. *Liv. vi. 35. Plin. ubi supra. Appian. Croll. 1.*

III. Interea quanto rura potentiorum ampliora in dies fiebant, tanto magis plebi crescebat difficultas frumentaria. Suberat difficultatis istius altera causa, distributiones agrariæ, quæ tribunitiis factionibus constituta, aliquantulum opis civibus aliquot asserabant, cum ceteri languerent inopia. Ergo his malis querendum fuit remedium. Ut sufficerentur populo cibaria, quæ industria sua sibi parare jam amplius non poterat, senatus legatos in feraciores Italæ provincias, ad comparandum frumentum quod plebi vitium daretur, subinde mittendos curavit; maxime vero in Etruriam, quæ frumento tantum abundabat, ut magnam ejus vim præstare vicinis possit.

Præterea ut Romanorum ditiori provincie subici coeperunt, ager earum, factus publicus jure victoriæ, illis quidem redditus est, verum ea conditione, ut decimam partem frugum, quas ex suis arationibus perciperent, tributis nomine penderent. Quod primo quidem in Italia; deinde in Sicilia, Africa, cæterisque provinciis, pro ut subiciebantur, factitatum esse constat.

Hæc



Hac est decumarum illatum origo, quarum mentio tam frequens occurrit in Verriis, & præcipue libro tertio. Cum autem decumarum frumentum alenda plebi, idem in dies crecebat, jam non sufficeret, quæ senatus publice ad auxilia domestica coemendum in provinciis, maxime in Sicilia, frumentum curavit. *Cic. Ver. 11. 69.* Frumentum illud omne Romam devectum, plebi levi pretio distribuebatur, in hoc tantum, ut ærario pecunia, quam reprobaverat, reciperetur.

IV. Verum, ut ex malo malum nascitur, teniorum civium multitudinem, quia illi unde solveret, non erat, ære alieno obstringi necesse fuit. Igitur ita rem moderari oportuit, ut utrique difficultati & annuarie & pecuniaræ obviam iretur: neque permittere, ut multitudini, quæ factis ipsa per se levis est, ulla paulo justior ad motus in Urbe concitandos accederet occasio. Itaque plebi annona mensura præhibita est pretio, non eo, quo publice vendebatur, sed vilissimo: quo & egestas domestica levaretur, nec tamen plebs avocaretur ab industria.

Fontem hic habes & rivulum publicarum largitionum (quippe largiri dicitur non solum qui gratis dat, verum etiam qui ex pretio aliquid detrahit) qui deinceps eundo tantum tributis legibus accrevit; ut earum molis postea insinuatæ ærarium impar fuerit.

V. Prima frumenti largitio, (illam dico quæ retinuit quandam venditionis speciem) quæ minime dubia occurrit in Romana historia, contigit anno Urbis conditæ 262. quo anno caritas primum annonæ fuit ex incultis per secessionem plebis agris, & fame deinde laboratum est. Consules dimiserunt passim ad coemendum frumentum, non in Etruriam modo, & per Volcos usque ad Cumas, sed in Siciliam quoque: quod Romam adveclum populo datum est levi fere pretio; curante senatu ut frumentum, quæ res omnes ad victum necessariz tantis essent, quanti minimi fuissent ante secessionem. *Liv. II. 34.*

Anno Urbis 298. cum annona, inquit *Liv. 111. 21.* propter aquarum intemperiam, laboraretur, Manius Marcius ædilis plebis primum frumentum, id est, frumentum quod mense primo (singulis enim mensibus dividebatur, & sic inter-

pretor 70 primum, quod mire torfit doctos homines) sui magistratus divisit, populo a tribunis plebis, aliquando a consilibus late sunt. Semel ea de re factum est senatus-consultum.

Anno Urbis 315. cum fame plebs urgeretur, L. Minucius Augurinus præfectus annonæ creatus, ejus levata gloriæ tulit. Nam oppresso Sp. Mælio, omne frumentum, quod hic privata pecunia ad largitiones faciendas coemerat, una cum reliquis ejus bonis publicatum fuit. Quod frumentum Minucius assibus in modios venale cum proposuisset, ita pretium farris imminuit, ut tribus nundinis tantidem in foro proflaret: qua de causa statua ei a populo sive collata, statua est. *Liv. IV. 12. 16. Plin. ubi supra.*

Frumentum, commune est nomen. Sed hic & in superioribus accipio pro farte, quo puls illa consuebat, qui prificus fuit Romanorum victus; unde *pulsis-fagi* Plautus dicitur. Nam panifici pistores incogniti Quiritibus olim: solum in usu ii, qui farinam in pistino pisferent; id est, tunderent, seu molerent. M. Varro, apud Non. verbo *Pisfere*. Plinius, lib. xviii. cap. 15. edit. *Hard.*

Sequitur apud Plinium xviii. 3. Trebii largitio. Is in ædilitate anno 343. populo frumentum & ipse assibus in modios præstitit: quam ob causam ei statua dicte est; & supremo die populi humeris portatus in rogum est. Postea divinum frumentum est sæpius, atque id fere per ædiles, sed graviori pretio. Testis in villitate annonæ, quam antea. *Tellis Liv. viii. xxx. 26. & xxxi. 4.*

Hæc antiquitas facta sunt, cum largitio ea omnis voluntaria adhuc, & in arbitrio aut magistratum esset, aut senatus. Frumentum plebi dabatur non illud quidem gratuitum, sed pretio levissimo. Plebs publico fere sumptu alebatur: ipsa vicissim liberis educandis subministrabat reipublicæ milites, & sanguine suo rependebat ei damna pecuniæ. Verum hæc temporibus largitiones fuerunt incertæ. Aliquanto post annum sexcentessimum leges tum primum late sunt, quibus perpetua statuaque frumentatio facta est. Quanquam his quoque legibus modo fixis, modo rexis, illa etiam fluctuavit: donec venit reipublica in unius potestatem, qui gratuita annona bene emperium putaret. Leges illæ sive *frumentariæ*,

illius infolentiam non excusat. Quasi quis hodie velit viginti quatuor, & duodecim asses, potius quam sex & triginta asses retinere, vel viginti quatuor, ob id minimum quod viginti quatuor, & duodecim assium nummi apud nos ambulant; triginta vero & sex assium nulli sunt.

Jam ad pretium lege Gracchi constitutum in modios: As Romanus constituit novem denariolis nostratibus, & quod excurrit. Dextantem æquum, semidenario addito, nostrates septem denarii. Hoc erat lege Sempronia pretium in frumenti modios, plebi levissimum sane, sed ærario gravissimum, quod tanto magis premebatur, quanto magis levabatur plebis inopia. Itaque legi senatus diu multumque adversatus est, quod & ab industria plebem ad desidia advocari putabat; & ærarium exhaustur videbatur. Pro Sextio, cap. 48. de *Offic. 11. cap. 21.*

Lex nihilominus perla fuit. Eam stetit ad tempora Syllæ Lipsius existimat, negat Vine. Contarenius, & Graccho interfecto, statim abrogatam fuisse contendit. Neuter recte. Abrogatam legem ante Syllanæ tempora fuisse contra Lipsium ostendunt leges Apuleja, & Livia, quibus Sempronia largitio revocatur. Non autem statim ab interfecto Graccho abrogatam, sed Octavia lege temperatam fuisse contra Contarenum Cicero testatur, de *offic. 11. cap. 21.* his verbis, *Medica M. Octavii largitio; & Reipublice tolerabilis, & plebi necessaria.* Contarenum decepti illud, quod ait Cicero in Bruto, *M. Octavium auctoritate dicendi tantum valuisse, ut legem Semproniam frequentis populi suffragiis abrogaverit.* Quod non ita accipiendum, quasi abrogata omnino Sempronia lex Octavia lege fuerit. Illam correxit, non sustulit, Octavius: verum qua ratione istud præstiterit, cum nullum legis istius exeret caput, obscurum est. Videtur statuisse Octavius vel majus pretium in singulis modios, pro annonæ caritate: vel, uti, cum populo frumentum venderetur, de pretio quo emptum esset remitteretur in modium semis & triens. M. Octavius tulit legem suam anno Urbis 633. quo anno fuit tribunus plebis. *Pighius.*

2. Anno post alia lex frumentaria promulgata, sed non perla est; ejus auctor ignoratur: tribunum plebis fuisse populo: *G g g huc*

Quærit Contarenius, cur Gracchus *semis* & *triens* nomina usurpare maluerit, cum rem & brevis & planius potuisset exponere: & adductis aliquot rationibus, amplius pronuntiat. Abramus, ad *Orat. pro Sext. cap. 25.* censet, quod triticum *semisse*, hordeum, lupinus, & minuta alia legumina *triens* vendebantur, ideo distinctam *semis* & *triens* fieri mentionem. Nos verius, ni fallor, ex Gronovio sic: As in partes scabatur, sive uncias, duodecim. *Semis* erat assis dimidia pars; *triens*, erat tertia pars; hic quatuor, ille sex uncias, capiebant; & decuncem, seu dextantem consuebant. Cur autem Gracchus *semis* & *triens* potius, quam dextantem, qui idem est, nominaverit, & cur illa uti circuitione maluerit, causa est, quia *semis* & *triens* forme publicæ percutiebantur: dextantem vero nulla fuerunt. Gronov. de *pecun. vet. IV. 12.* Si Gracchus ad *Cic. loc. cit.* credis, hæc vera est & unica locutionis istius ratio: quæ tamen



hic Marius, ipse tribunus plebis, intercessit, quod Republica damnosa videretur. Plutarchus in Mario.

3. L. Apulejus Saturninus, seditionis omnium post Gracchos eloquentissimus, qui ab optimaribus defecerat ad plebem, & se ad C. Marium, & alios plebeje factionis principes applicerat, tribunus plebis iterum, anno 653, legem frumentariam promulgavit, quae Sempronia lege fuit etiam dissoluta. Haec enim pretium, levissimum quidem, sed pretium tamen frumenti dando statuebat; Apulejus vero tulit, ut, remissis fructibus & vicariis populo frumentum mensuratum gratis distribueretur. Huic legi intercessit Cæpio, qui per id temporis quaestor urbanus erat; docuitque senatum, ætatum pati non posse largitionem tantam. Lex non est perla; & ejus auctor Saturninus, ex senatus-consulto iudicatus hostis Republicæ, occisus est. Rhet. ad Herenn. lib. I. cap. 12. Pignus.

4. Legem Apulejam Livia secuta est. M. Livius Drusus, tribunus plebis, anno 662, is qui iactabat in tribunatu, Nihil se ad largitionem ulli reliquisse, nisi si quis aut canum dividere vellet, aut calum, ut plebis gratiam sibi conciliaret, tulit, ut Sempronia lex frumentaria valeret. Sed legem hanc, ut Livias omnes alias, latore in magistratu occiso, senatus, Philippo consule referente, abrogavit. Liv. Epit. LXXI. Flor. 111. 17. Acon. ad Cornelianam.

A Drusi morte sociale bellum statim exarsit. Id excepit civile; imo multa civilia, quæ tam occupatum habuere populum Romanum, ut ne injecta quidem a tribunis fuerit mentio ullius largitionis. Ut autem, rebus compositis, injici non posset, fecit Sylla, qui cum invasisset Republicanam, tribunus omne jus legum ferendarum admittit. Eo consilio, turbatum ac seditionum extincta sunt facies, quæ tamen Sylla mortuo anno 675, revivunt cum plebs niti cepit ut tributum potestas in integrum restitueretur. Res fuit per multos annos magnis contentionebus iactata: consulibus strenue tuentibus senatus-consultum, quo acta Syllæ confirmabantur; plebe vero summa vi pugnantem, ne, spoliata præsidio tribunici, potentium libidini subiceretur. Sallust. fragment. lib. 111. 8.

5. Tandem anno 680, tanto impetu plebs

coorta est in Patres, ut fusineri amplius non posset. Itaque consules ejus anni C. Cassius, & M. Terentius Lucullus, ut plebem delinquentem; & ut rem integram in adventum Pompeii, qui tum in Hispania bellum cum Sertorio gerabat, si qua possent, rescicerent, frumentariam legem tulere: qua blandimento plebi quietem egit usque ad annum 683, quo anno Pompeius & Crassus consules, tribunum potestatem in integrum restituerunt. Hac est illa lex Terentia-Cassia, quam Cicero altero contentus nomine, quandoque Terentiam vocat. Frumentariam fuisse intelligitur ex eodem Cicerone, in Ver. 111. 69. Ea lege Siculi darent tenebantur imperati tritici nomine octingenta millia modiorum, pro quibus festertios quaterenos in modium acciperent.

Terentiam-Cassiam legis nomine appellari debere negat Hotomanus, & cum eodocli nonnulli; qui, quia sit de frumento ex sola Sicilia exportando, privilegium, non legem appellari debere contendunt. Affirmat Contarenius: non enim de solo frumento Siculo latam legem putat fuisse. Imo, inquit, illud de Siculo frumento, unum caput legis fuit, quæ cautum præterea est, qui numerus frumenti, & quantum esset in aliis provinciis emendus. Et sane frumentum emptum aliunde oportuit. Quandoquidem illa modiorum Siculi frumenti octingenta millia trium mensium cibariis non satis esse poterant, ut infra declarabitur. Nisi forte præter emptum frumentum, partem etiam decumanam distributam plebi fuisse dixeris: quæ de nihil habeo quod affirmem.

Legem Terentiam præcesserat sive mensibus, sive annis aliquot, mihi enim non liquet, senatus-consultum de alteris decumis, quod sic habet: Omnis ager Siciliæ decumans jam ante imperium populi Romani ipsorum Siculorum voluntate, & insultis fuerat. Cic. in Ver. 111. 6. Cumque agrum illum fecisset victoria publicum populi Romani, Siculis est redditus, ita tamen, ut, præter septem civitatum, eadem conditione esset, quæ antea fuerat; id est, ut decumas gratuas penderet, non, ut olim, regibus suis, qui nulli jam erant, sed Republicæ. Hæc sunt primæ decumæ, quæ a Cicerone appellantur. Cum vero annoæ difficultate Urbs premeretur, senatus decreto Siculi tantum frumenti da-

re coacti sunt, quantum ex primis decumis fuisset.

Hæc sunt alteræ decumæ, quæ non erant tamen gratuas, ut primæ: nam pretium his decumis constitutum erat in modios singulos festertii tertii, qui aratoribus perolverentur. Cic. ibid. cap. 69. Cæterum videtur senatus non, nisi temporibus Republicæ cogere, decrevisse ut alteræ decumæ exigentur. Ibid. cap. 16. Nollem hoc de alteris decumis senatus-consultum omisisset Vinc. Contarenius, scriptor aliquin in hoc argumento de re frumentaria non mediocri diligentia versatus.

6. Legem Terentiam post aliquot annos, id est, anno 691, excepit senatus-consultum Catonianum; sic dictum, quia factum est in Catonis sententiam. Sualit vir ille ad disturbanda perniciosa Cæsaris consilia, ut, quando superioribus annis frumentaria largitionis beneficio discussa fuisset, eodem remedio Cæsaris conatus obviam iretur; occupatque animi pauperiorum hoc munere senatui reconciliarentur: quo facta Cæsaris spes in ventos abire, nec moliri quidquam ausus est. Distributum est ergo plebi frumentum mensuratum, quæ accessio fuit ad reliquos sumptus Republicæ quingentarum quinquaginta myriadum, inquit Plutarchus in Cæsaræ, seu ducentorum quinquaginta talentorum, seu trecentis festertium (Gall. 3000000. lib.) ut idem scribit in Catoe; nam variat Plutarchus in summa.

Hujus rei culpam in liberos derivat Rualdus, Animad. xxv. 11, & jubet, ut & Contarenius, illic legi remaneat, septingente, pro 75 remaneant, quingente, quod est in vulgatis. Idem Rualdus post Plutarchum, ibid. criminis unius absolvit, eundem alterius postulat, imperitiam nimirum, vel saltem negligentiam. Ex eo enim quod annonarii hujus senatus-consulti plane non meminuit Aconius, in Pison. sed a Gracchana lege desinit statim ad Clodiam frumentariam, contendit contra Plutarchum vir eruditus illud non viguisse, sed eodem quasi momento & factum & abrogatum fuisse. Respondetur Rualdo non itidem memorari ab Aconio leges Octavianæ, Apulejæ, & alias quas supra recitavimus; quæ nihilominus perlatæ sunt.

Atque ideo argumentum ex Aconio silentio contra senatus-consultum Catonianum non recte assumi. Præterea satis habuit Aconius ad rem præsentem afferre legem principem, hoc est Gracchanam, a qua, cum fonte, deinceps frumentaria leges naxerent populares derivatae sunt, ut ostenderet, quasi facta utriusque comparatione, Gracchum, hominem maxime & popularem & perniciosum, in his ipsis rebus superatorem fuisse a P. Clodio. Ad stipulatorem habet Rualdus Dacertium; nos Contarenius, qui rebus arte perpenis firmiora esse argumenta pronuntiat, quæ pro senatus-consulti diturnitate asseruntur.

Ex ejusdem Plutarchi verbis alia suboritur quaestio; an, cum senatus-consultum illud factum est, & lege Sempronia frumentum etiam aliquod distribueretur. Sunt qui affirmant, sunt qui negant; & graves utroque trahunt auctoritates. Verum eo inclinamus, ut credam largitionem aliquam antea fieri solitam fuisse, & Catonem voluisse ut illa fieret amplior: hoc est, ut plures e plebe, qui expertes hujus erant largitionis, (sic enim interpretor ἀσφατος ἔχων apud Plutarchum) frumentum mensuratum acciperent. Unde cum augetur numerus eorum quibus frumentum daretur, facta fuit illarum 750. myriadum accessio ad alios sumptus: non eos quosvis qui fiebant in Republica, sed privatim ad eos qui antea fiebant pro largitione frumentaria. Non enim mihi sit verisimile plebeculam hisce largitionibus toties & tandiu inelictam, in æquo animo caruisse, quo tempore illi maxime erant necessariae; tum quia præca illa parsimonia erat oblitterata; tum quia ex opulentiorum luxu, longe major erat quam antea, pretium rerum omnium quibus vita retinetur.

7. Venio nunc ad legem Clodiam frumentariam, quam tulit P. Clodius, in Ciceronis inimicus, in tribunatu anno Urbis 695. Meminit Dio, lib. 38, his verbis: Clodius frumentum gratis vastus distribuit. Tulit enim, Gabinius jam & Pisonem consulibus, ut frumentum pauperibus daretur. Ex his Dionis verbis contendit Contarenius legem Clodii frumentariam fuisse duplicem. Nam dicit, vastus, inquit ille, legem posteriorem significat. Ergo alia



prior fuit. At docti melius, qui legem Clodii largitionem unicam agnoscunt. In hoc decipitur Contareus, quod jungit *resusat, res divisit*; quod iungendum erat *res gratis*. Gracchus dederat frumentum semilibris & trientibus in modis. Remiserat semisses & trientes Apulejus, & gratis dederat. Apuleja lex perlatam; Ceperio intercedente, non fuerat. Restituit eam Clodius, & dedit, id est, dandum *rufus gratis*. Hanc Clodii legem Cicero multis locis impugnat, ut perniciolam, & pestem agrarii, si quidem ea lege quinta prope pars vectigalium tolleretur. *Vide pro Sextio, cap. 25.*

Clodia lex viguit omnium diutissime. Cum enim relique ad breve spatium temporis fuerint ratae, haec ad tria saecula fixa & firma perseveravit. Causa fuit ambitio, mater civilium bellorum. Dum nemo principum parem ferret, nedum priorem, servierunt omnes plebi miseris modis, & populi gratiam, Reipublicae incommodis, aucupati sunt. Hinc non ausus est quicumque verbum unum facere de Clodia lege abroganda. Praeterea cum Respublica redacta fuit in unius potestatem, Caesar rerum potitus, & qui Caesarem secuti sunt Imperatores, animadverso quantum esset momentum in huiusmodi largitionibus ad plebis animos sibi conciliandos, largiri perseveraverunt. Neque in frumento mensuro dividendo stetit eorum liberalitas, sed certam etiam pecuniam, tunicas, porcinam, oleum, vinum plebeculae diviserunt. Sed ista non sunt huius nostri insulti.

VII. Haestenus de initis frumentariae largitionis, & de legibus ad eam pertinentibus; sequitur ut disputem de modo frumenti, seu de numero modiorum qui dabantur. Gracchum, qui primus de statuta ac perpetua frumentatione legem tulit, de modo etiam frumenti quod daretur, cavisse verisimile est: sed quanta fuerit haec mensura largitio nemo omnium, qui exstant, veterum scriptorum, ut opinor, prodidit. Itaque tentandum an rem assequi coniectura possimus. Servis singulis ci-  
 quator pro hyemem tritici modios mensuros quator attribuit Cato; de *re Rustica* cap. 56. per zlatam, quator & semis. *Servi*, inquit Donatus in Phorm. l. 1. 9. *quateros modios frumenti accipiebant in*

*mensura*; & id dominum dicebatur; *utrum in mensura, an a metiendo incertum*. Non sane a mente, sed a demetiendo fit *domestium*. At illa inconstans, & incerta fuisse videtur attributio. Nam ex Seneca, Epist. 80. *Servus est, qui quinque modios accipit.*

Fuit igitur mensuras servilis canon modiorum quator frumenti, auti quinque, si quando libtiores erant domini & servos vero eos intelligi, qui ruri opus exercebant. Tot modiorum fuisse largitionem plebi factam mihi persuadet Macer, seu Marcus Licinius apud Sallust. Hist. fragm. lib. 111. cap. 10. Is enim in ea oratione quam in tribunatu habuit ad populum sibi, ubi Terentiam legem frumentariam elevat & explodit, sic ait: *Abste praevidum & labor, quibus nulla pars fractus est: nisi forte respiciamus ista frumentaria lege munia vestra pensantur. Qua tamen quini modios libertatem omnium estimavero: qui profecto non amplius possent, al. profunt, alimentis carceris.*

Isthaec commemoratio de alimentis carceris insinuat oratorie magis ad invidiam, quam ad similitudinem. Nam lege XII. tabularum singulae librae farris in singulos dies victo dabantur. *A. Gellius* xv. 1. Quod *diarium* quia servis etiam in ergastulo aut domo victis praebatur, *alimentum servile* apud Sallustium vocatur. *Frugm. lib. 1. cap. 6.* Sed haec exiguitas victus, quia mors tantummodo prohibebatur, nihil facit ad quinos modios, qui modus fuit Terentianae largitionis.

Cogitanti Contareno videtur par fuisse constitutus lege Semproniana, fortasse etiam & senatus-consulto Catoniano, & lege Clodia modus frumenti quod daretur. Hic igitur stamus. Quinos modios singulis mensuras datos fuisse dicimus. Sed vitissime, an per familias? Si viritum; quini modii large praebant uni homini mensurae habitaria: quandoquidem observatum est modium hominibus octo alendis in diem sufficere. Itaque modii quini victum diurnum dabunt quadraginta hominibus; seu, quod idem est, uni homini per quadraginta dies, at mensis est dierum duntaxat triginta. Sin autem modii familiaris singulis quini assignabatur, ut inde patetfamilias non solum vitam suam, sed & conjugis ac liberum toleraret, fatendum est

parce

parce prabium fuisse ad victum quotidianum, & rem tam parvam non *absoluisse cura familiari*, ut ait Macer, apud Sallust. 111. 10. Sed ut largitionem per familias factam non credam, facit Sueton. in Jul. cap. 41. ubi sic ait: *Caesar verum habitus, ex viginti trecentisque millibus accipientium frumentum e publico, ad centum quinquaginta retroxit.* Enimvero an tot familiarum militia accepit? non fit verisimile. Neque tamen viritum datam puto, quod largius, quam par est, prabium fuisset. Si coniectura uti licet, quod tamen in re tam obscura necesse est, credam, feminis exclusis, mares solos, patrem dico, & natos, qui essent aetate militari, admissos ad istam largitionem fuisse, ita ut per capita frumentum quodammodo distribueretur, neque tamen, ut Licinius querebatur, *absolveret cura familiarum tam parva res*, quae quia minor erat alenda toti familia, marito, inquam, & conjugi cum liberis, plebem ab industria ad delictum non advocaret.

VIII. Ad frumentum publicum admittebantur civis Romani tenuiores, sive ingenui essent, sive libertini, sive nobiles, sive obscuri, dummodo Romae domicilium haberent. De tenuioribus non est quod dubitemus. Accepisse nobiles & consulares discimus ex Cicerone, qui, lege lata Semproniam Pisonem Frugi, consularem hominem, ad accipiendum frumentum venisse ait. *Tustul. 111. 48.* Quod Gracchus cum videret, non obiecti Pisoni avaritiam indignam viro consulari: quod sane fecisset, si a publico frumento civem nobilitas accuisset. Quare ab eo tantum, qui sibi conset, cum ea lege frumentum petat, quam *dissuaserat.*

Eorum, qui frumentum caperent, nomina descripta in *Album* referantur. *Dio, lib. 29.* Et tum ne quis se obruderet, singulis mensibus per eum qui frumento distribuendo praefectus erat, recensio ante largitionem fiebat in campo Martio nominum eorum, quos fas erat capere frumentum. Eius recensiois tabulae conscribantur, quae in sede Nympharum asservantur. *Cic. pro Milon. cap. 27.* Sunt qui velint id per censores fieri solitum, & qui tabulas recensiois *Censorias* appellant. *Cassaub. ad Suet. Jul. cap. 41. Ma-* aut ad *Cic. ubi supra.* Sed eos relict

Dio, ubi supra.

Ut fraudibus certius occurreretur, recensitis, & in *album* descriptis singulis dabatur tesserae, quas *Tesserario* ostenderent frumentum acccepturi. *Tessera* fit a Graeco *τεσσαρα*, quatuor, quod haberet quatuor latera. Nam ligneum fuit frustillum, oblongum: vel alius cujusvis figurae. Eius latera inscriptum habebant nomen consulum, & civis cuius datur; diem mensis; & has literas *Sp. seu, Spet.* id est, *spectata*; quo significabatur eam tesseram spectatam fuisse, veramque esse testem, & probatam. *Vide Reinsf. Inscr. l. X. class. V.* Sunt tamen qui has literas interpretentur de gladiatoribus, qui *spectati* farris rade donabantur. *Sebat. Not. Cicer. II. 6.* Tesserarum schemata exhibet *Montf. Antiq. Tom. 3. Tab. 186.*

IX. Jam ad numerum accipientium, hoc est ad alias terras pergitur. Censet Contareus, certum & definitum non fuisse arte legem Semproniam; tum quia rarae & incertae erant largitiones, tum quia nunc maior, nunc minor frumenti numerus Romam advehebatur. Lege Graechi; legibus Apulejae & Liviae de hac re cautum fuisse minime est dubitandum: at eorumdem legum beneficio quor acciperent, nusquam discrete significatum reperit: sed ex Ciceronis presso vestigio rem subodorari posse videor. *Is, lib. 111. cap. 30.* orationem sic ad Verrem convertit: *Imperas, inquit, ut Agrinenses decumas accipiant; Apronio dent lucrum, tritici medimnum xxxiiii. millia. Quid est hoc? Una civitas ex uno agro, plebis Romanae prope mensura cibaria praetoris imperio donatae Apronio datur?* Sic Tullius. Porro Romanae plebis summae aut intelligenda plebs universa, aut illa solum plebecula, quae frumenti largitionibus aiebatur. Plebs universa nullo modo intelligi potest. In Urbe enim omnium, quas sol aspiceret, maxime frequentis quis non facile concedat illo vao fuisse amplius quadringenta millia hominum de plebe?

Huic tanta multitudinis ducenta millia medimnum mensurae vix satis fore subdula ratione conperimus, ut singulis tribuerent tantum modii terni, sive semimedimni. Qui numerus frumenti ab his triginta tribus millibus medimnum abest tam longe, ut nullo modo tam impudena

ti



ti mendacio fucus fieri iudicibus poterit. Inintelligens igitur est apud Ciceronem plebs illa, seu plebecula, cui annona mentiana donata fuit lege Terentia eo triennio, quo Siciliam Verres administravit. Porto Agrinenses Apronio xxxiiii. millia medimnum donare coacti sunt plebs Romanae prope mensura cibaria, inquit Cicero: sed hoc verbum, prope, cum addit, oratorie imminuit modum frumenti quod donabatur mensuram, ut sicutum Verris tanto magis augeat, quo propius ad illum ciborum mensuram modum accedat. Hæc est, ni fallor, mens Contareni, quem Grævius, quia non eam affectus est, male reprehendit, ad lib. tert. Accus. pag. 57.

Cicerone igitur habemus auctorem triginta tria millia medimnum donata fuisse Romanæ plebeculæ lege Terentia: atque illa prope satis fuisse ad cibum plebs mensuram: ita ut si ad illa xxxiiii. aliquot millium medimnum accessio fiat, numerum medimnum alenda plebi necessarium habituri simus. Hac igitur quasi face prælucante progrediamur conjecturis quam minime audacibus.

Imminuit orator modum frumenti ad crimen augendum, nos eum amplificemus, & producamus vel ad L millia medimnum: ita ut ad illum Ciceronianum numerum fiat tertie partis, hoc est, septemdecim millium accessio: quæ sane gravior ei non videbitur, qui tantisper attendit ad illud Oratoris artificium quod proposui. Medima singula modios Romanos capiunt sex. Ergo quinquaginta medimnum erunt trecenta modium millia; quæ sufficiunt hominum sexaginta millibus alendis, ut modus frumenti fuerint in singulos modii quin. Aut igitur hæc ipsa, aut circiter, mea quidem sententia, hominum multitudine lege Terentia publicum frumentum accepit. At senatus-consulto cuius auctor fuit M. Cato, Contareni admittit ad frumentationem fuisse hominum millia circiter centum, conjicit ex sumptu, quem factum quotannis in eam rem tradit Plutarch.

Clodia lex remisit semisses & trientes, sed accipientium non auxit numerum, qui postea, cum per seditiones & bella civilia plurimi irrepissent nullo iure in has largitiones, adeo crevit, ut esset anno Urbis

707. trecentum viginti millium: quem Cæsar, recessione facta, retraxit ad centum quinquaginta millia. Sueton. in Jul. cap. 41. Hunc numerum Augustus produxit ad ducenta hominum millia. Ex Maxim. Ancy.

X. Pulsis regibus, procurationem rei frumentariæ, seu annonæ, id est, curam emendi frumentum in provinciis & Romanam mittendi, suscepit senatus. Mox ædilibus plebs hæc republicæ pars mandata est; semel extra ordinem ad L. Minutium, deinde ad ædiles curules translata, diuque gesta præclare: fortasse usque ad legem Terentiam. Sane constat ex Ascenio, Argum. in Cornel. septennio post eam legem prætorem de maiestate curam gessisse frumenti publici.

Lege Clodia Sex. Clodio homini impurissimo procuratio frumenti, quod upiam fuit, tradita est. Cic. pro Dom. cap. 27. Eidem erepta anno sequenti, & Cn. Pompeio extra ordinem toto orbe terrarum in quinquennium est delata. Africa capta anno Urbis 709. Julius Cæsar iussit viginti myriades, id est, ducenta millia medimnum frumenti ad alendum populum Romanum advehi; & olei librarum myriades ccc., id est, tricies centena millia; duosque curatores, & totidem Cereales ædiles instituit, qui hoc frumentum Romanam advehendi, & populo distribuendi curam haberent. Dio, lib. 43. Annonæ procuratio ad consules etiam pertinuisse videtur ex eo, quod, cum inopia laboraretur anno Urbis 714, tribuni consulum negligentiam accusarint, quasi eorum culpa accidisset, ut populus fame premeretur. Liv. iv. 12.

XI. Dum ferit Respublica, idem ferme, qui annonam procurabant, ædiles sive plebs, sive curules, frumentum populo distribuerunt. At Græchus ipse præfuit, aut saltem adfuit, ut patet ex Cicerone, Tuscul. lib. 11. 20., cum eius lege frumentum plebi daretur. Post legem Terentiam verisimile est prætorem, ut gerebat curam frumenti advehendi, ita etiam illud distribuendum curasse. Pompeius extraordinaria annonæ præfectura ornatus, frumentum etiam donavit.

XII. Jam dixi frumentarias Romanorum provincias fuisse primum Italiam; maxime vero Etruriam. At anno Urbis

262, cum annonæ caritas esset summa ex incultis agris per secessionem plebs, missi qui frumentum compararent non modo hinc in Etruriam, illinc per Volcos, usque ad Cumas; sed quantum in Sicilia quoque; unde vis magna frumenti advocata est, quæ partim coempti, partim a Gelone Syracusarum tyranno dono accepti. Liv. 11. 34. Dion. Hal. vii. 1.

Aliquanto post subacta Sicilia, ingentem frumenti numerum aut decumarum, aut emptiois nomine, quotannis Romanam misit. Deinceps domita Africa, pendit & ipsa victrici Reipubl. vestigial annuum frumentum. Denique, ut quoque provincia ferax frumenti, Romanorum ditioni subiecta est, statim nutrit pro sua parte facta est plebs Romana. Harum præcipue fuerunt Sicilia, Africa, Sardinia, Hispania, Bœotia, Macedonia, Chersonesus, Asia, Syria, Ægyptus; & quibus omnibus, si Ægyptum excipias, quæ non, nisi post finem Republicæ, provinciæ ab Augusto facta est, frumenti maximus numerus Romanam advectus est, aut publici ex vestigialibus; aut senatus-consulto empti; aut privatim a mercatoribus. Harum provinciarum meminit Cicero, lib. 111. in Verr. passim; & pro leg. Man. cap. 12, ubi Siciliam, Africam; Sardiniam, tria fuisse testatur frumentaria subsidia Reipublicæ.

Diximus quantum frumenti numerum Sicilia suppeditaret. Africani frumenti modum statueret non ita promptum est. Nam quod ait Plutarchus, in Cæsare, Cæsarem Africano bello confecto reversum, in concione fuisse gloriatum, se regionem subegisse tantam, ut ex ea quotannis populus Romanus præter olei pondo tricies centena millia, percipere esset frumenti ducenta millia medimnum Atticorum, hoc est, duodecies centena millia modiorum

Romanorum, id nos in eo constitudo leviter adjuvat. Cui enim persudetur tam exiguum vestigial ab Africa, universa, feracissima regione, exactum fuisse? Aut igitur in referendo dicto Cæsaris lapsus est, ut sæpe in rebus Romanis scribendis, homo Græcus; aut hæc de quibsdam tantum Africæ civitatibus, ut vult Contareni, accipienda sunt. Neque nobis præluceat in re tam obscura Iosephi locus ex oratione Agrippæ ad Iudæos, (de bello, 11. 16.) qua eos a bello contra Romanos suspiciendo dehortatur. In ea rex ille affirmat Africam octo mensibus populum Romanum alere; Ægyptum quaternis. In quo lux causa magis, quam veritati, cum servire apertum est. Si enim ita se res habuerit, nihil frumento tanto ex tot aliis provinciis importato copius fuerit. Importatum tamen fuisse supra memoratis provinciis constat ex Plinio, xviii. 7. Aliis etiam argumentis refelli possit Agrippa. Sed quia ista magis ad Imperatorem, quam ad Reipublicæ tempora pertinent, supersedeo de ea re plura loqui.

Addam coronidis vice, largitiones non modo per senatum aut magistratus, sed per privatos etiam homines aliquando, præsertim testamenta, factas fuisse: ut suspicari licet ex Horatio, 11. Sat. 3. 84. Neque frumentum solum, sed & oleum etiam populo donatum. Memoratur Ciceroni 11. de offic. cap. 17. M. Seius ædilis curulis anno Urbis 679, qui, ad inendam a populo gratiam, revocavit longo intervallo veterem annonæ vilitatem de suo; & æsse modium populo dedit. Idem ille M. Seius olei quoque denas libras, rem hoc ævo prope incredibilem, singulis assibus præstitit populo Romano, per totum annum. Plin. xv. 1.